

Rursus quædam in officinis parata habentur, quædam pro voluntate Medici conficiuntur: si quidem quædam parata habere oportet, ut sunt ea, quæ vetustate vires non amittunt, ut sunt calida, quale est stomachicū, vel quæ certo anni tempore tantum confici possunt, ut est Oesypī. Vel quæ difficilias parantur, & per otium confici debent; alia enim parata seruanda non sunt, vel parua solum quantitate, cuiusmodi est ceratum album vel infrigidās Galeni. Vel si paratum sit, quando in usum reuocabitur, aqua frigida lauandum, ut magis refrigeret.

*f. cereta via
habet
Myrrep. sedt.
30.*

In officinis f. usitatissima sunt, ceratum stomachicum, quod ventriculi intemperiem frigidam corrigit, inflationem discutit, cōcoctionem adiuuat. Ceratum sanalimum proprie ad hepatis intemperiem calidiorem: ceratum album vel infrigidans Galeni ad partes quascunque nimium incalentes, capite quidem ipsa tempora, in febribus ardentibus, & hepar, & spinam dorsi inungendo. Quod tamen magis refrigerabit, si quid camphoræ addatur: vel si lauetur aqua aliqua refrigerante, ut endiu. cichor. Sic etiam ubi præter refrigerationem ad strictione opus est, eius usus esse potest, si misceatur aliquid resoluens, valebit ad partes contusas, ad contumaces dolores. Ceratum matricale, etiam habetur, & creatum ad rupturam Guidonis, cuiusmodi etiam est ceratum de pelle arietina Vigonis.

Quod si vero recentia præscribere lubeat, eadem erit materia, ut in febribus ardentibus & affectibus capitum calidioribus:

24. VII.